

boni fuerimus, et perfecte eum promeruerimus, Angelis æquemur: « Erunt, dixit, æquales Angelis Dei ¹. » Angelus ostendebat multa miracula sancto Joanni Evangelistæ, turbatus miraculis adoravit eum. Adoravit homo Angelum; et Angelus homini: « Surge, quid facis? Illum » adora: conservus enim tuus sum et fratrum tuorum ². » Si tanta humilitas apparuit in Angelo, quantam putatis esse debere in Martyre, sicut est? Non ergo credamus superbum esse Stephanum, cum putamus quia virtute sua facit quod facit. Per conservum beneficia sumamus, honorem et gloriam Domino demus. Quid vobis plus dicam et multum loquar? Legite quatuor versus, quos in cella scripsimus, legite, tenete, in corde habete. Propterea enim eos ibi scribere voluimus, ut qui vult legat, quando vult legat. Ut omnes teneant, ideo pauci sunt: ut omnes legant, ideo publice scripti sunt. Non opus est ut quæretur codex: camera illa codex vester sit. Aliquanto quidem temperius solito processimus: sed quia longa lectio recitata est, et graves æstus sunt, libellum beneficiorum Dei per ipsum, quem lecturi hodie fuimus, in diem Dominicum differamus.

¹ Matth. xii, 30. — ² Apoc. xix, 10.

SERMO CCCXXI¹.

De homine sanato per orationes S. Stephani. Ubi Augustinus episcopus se excusat, quod sermonem facere non potuerit.

Habitus ipso die Paschæ.

DE miraculis Dei per orationes beatissimi Martyris Stephani libello solemus audire. Libellus hujus, aspectus est; pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre soleatis, in præsentibus gaudentes legite quod videtis: ut Dominus Deus noster abundantius honoretur, et quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur. Date veniam, quia diuturnum non reddo sermonem: nostis etenim fatigueationem meam. Ut heri jejunos tanta agere possem et non deficere, ut et hodie vobiscum loquar, orationes sancti Stephani præstiterunt. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO CCCXXI¹.

Ubi libellum sanati hominis promisit, feria secunda Paschæ.

DIXIMUS quidem hesterno die, sicut meminit Charitas

¹ Alias de Diversis 29. — ² Alias de Diversis 30.

Vestra : Hujus libellus, aspectus est. Tamen quia nonnulla nobis indicavit, quæ nosse debetis, ad majorem admirationem et Domini nostri gloriam, de suorum sanctorum memoriis, de quibus dictum est : « Pretiosa in » conspectu Domini mors sanctorum ejus¹, » etiam libellum dare decet, quia habet omnia quæ ex ejus ore cognovimus. Sed si Dominus voluerit, hodie parabitur, et vobis die crastino recitabitur.

SERMO CCCXXII².

*Ubi libellum promissum sanati hominis presentavit,
feria tertia Paschæ.*

HESTERNO die libellum promisimus Charitati Vestræ, ubi de illo sanato audire etiam possitis, quæ videre non potuistis. Si ergo placet Charitati Vestræ, imo quia placere debet quod et mihi placet, ambo fratres stent in conspectu vestro : ut qui illum non viderant, in isto videant quid ille patiebatur. Stent ergo ambo, unus cui donata est gratia, et alter, cui petenda est misericordia.

Exemplar libelli a Paulo dati Augustino episcopo.

Rogo, Domine beatissime Papa Augustine, ut hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, sanctæ plebi jubeas recitari.

CUM³ adhuc in patria nostra Cæsarea Cappadociæ mo-

¹ Psal. cxv, 15. — ² Alias de Diversis 31. — ³ Confer. lib. xxii, de Civitate Dei, cap. viii.

raemur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit injuriis, in tantum ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem foeminei doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cumque ad sacri baptismatis fontem post gallorum cantus memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei nescio quis in patris nostri similitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, et ab ea prior quo pergeret requisivit. Cui illa, ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit, ut omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus nudatisque uberibus hoc a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria et circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox materuas preces efficax vindicta prosequitur, eundemque continuo fratrem nostrum ætate culpaque majorem tremor membrorum tantus invasit, quantum in me usque ante hoc triduum Vestra Sanctitas vidit. Servato autem ordine, quo nati eramus, intra unum annum eadem nos poena omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam et opprobrium hominum diutius ferre non potuit : sed laqueo guttur astringens, luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes passim sumus per diversa dispersi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi quoque ordine primum sequitur ad gloriosi Martyris Laurentii

Memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem. Ego autem qui nascendi ordine sum sextus illorum, cum hac sorore mea, quæ me ætate subsequitur, ubicumque gentium, ubicumque terrarum loca esse sacra, in quibus operaretur Deus miracula, comperissem, magno desideratæ sanitatis amore carpebam iter. Sed ut de cæteris celeberrimis sanctorum locis taceam, etiam ad Anconam, Italiæ civitatem, ubi per gloriosissimum Martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divina prædestinatione servabar. Nec Uzalim civitatem Africæ prætermisi, ubi beatus Martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Verumtamen ante hos tres menses, id est, Kalendarum Januariarum die, tam ego quam soror mea, quæ hic mecum est, eadem adhuc passione detenta, evidenti sumus visione commoniti. Ait enim mihi quidam aspectu clarus, et candido crine venerabilis, quod intra tertium mensem desiderata esset mihi sanitas affutura. Sorori autem meæ in visione Sanctitas Tua in ea effigie, in qua te præsentem videmus, apparuit: per quod nobis significatum est, ad istum locum nos venire debuisse. Nam et ego beatitudinem tuam sæpius postea videbam per alias civitates in itinere, quo veniebamus, talem prorsus, qualem modo conspicio. Admoniti ergo evidenti auctoritate divina, ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim. Passionis meæ vel oculi vestri testes sunt, vel miserabilis soror mea quæ ad eruditionem omnium, communis mali præbet exemplum: ut qui in illa qualis ego fuerim vident, in me quantum per Spiritum sanctum suum Dominus sit operatus, agnoscant. Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco ubi est Memoria gloriosissimi Martyris Stephani. Die autem Dominico

Paschæ, sicut alii qui præsentem erant, viderunt, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, subito cecidi. Alienatus autem a sensu, ubi fuerim nescio. Post paululum assurrexi, et illum tremorem in corpore meo non inveni. Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli: in quo etiam quæ de nostris calamitatibus ignorabatis, et quod de mea incolumitate et salute cognovistis, exhibui: ut et pro mea sorore orare dignemini, et pro me agere Deo gratias.

SERMO CCCXXIII 4.

Habitus post libellum de sancto Stephano.

I. MISERICORDIA quidem Dei, fratres, sicut credendum est, omnes isti fratres, quos una Dei ira materna plaga percussit, ad hujus de quo gaudemus, quandoque perventuri sunt sanitatem. Verumtamen discant filii obsequi, timeant parentes irasci. Scriptum est: « Benedictio patris firmat domum filiorum: maledictio matris » eradicat fundamenta². » Modo isti per terras in fundamentis patriæ suæ non sunt: præbent ubique spectaculum, proponunt suum supplicium: præbent oculis miseriam suam, terrent superbiam alienam. Discite, filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum. Sed et vos parentes, quando offendimini, parentes vos esse recordamini. Oravit mater contra filios, exau-

¹ Alias de Diversis 32. — ² Eccli. xii, 11. *Illud illi obediunt*

dita est; quia Deus vere justus est, quia vere injuriam passa fuerat. Unus ipsorum et verba contumeliosa et manus injecerat; et cæteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem responderunt. Justus Deus qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa misera? Nonne unde citius exaudita, inde plus punita? Discite hoc petere a Deo, ubi non timeatis exaudiri.

II. Nos autem, fratres, satagamus Domino Deo nostro gratias referre pro illo qui sanatus est; et pro illa quæ adhuc tenetur, preces fundamus. Benedicamus Deum, quia dignos nos habuit, ut hoc videremus. Quid enim sumus, quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, et ego nesciebam: et admonebantur, ut ad istam civitatem venirent. Quis sum ego? Homo sum unus de multis, non de magnis. Et vere, ut audiat Charitas Vestra, multum miror, et gaudeo nobis esse concessum: quoniam iste homo nec Anconæ curari potuit, imo potuit, sed propter nos factum non est, quia facillime fieri potuit. Sciunt enim multi quanta miracula per beatissimum Martyrem Stephanum in ista civitate fiant. Et audite quod miremini: « Memoria ejus antiqua ibi » erat, et ipsa est ibi. » Sed fortasse dicis: « Corpus ejus » nondum apparuerat: Memoria ibi unde erat? Latet quidem causa: sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo Charitati Vestræ. Quando lapidabatur sanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes, et maxime de iis qui jam in Christum crediderant, circumstabant: dicitur lapis venisse in cubitum, et excussus inde venisse ante quemdam religiosum. Tulit illum, et servavit. Homo erat de navigantibus, sors navigationis attulit illum ad littus Anconæ, et revelatum est illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, et fecit quod jussum est:

ex illo cœpit esse ibi Memoria sancti Stephani, et rumor erat, quia brachium sancti Stephani ibi est, nescientibus hominibus quid contigisset. Verum autem intelligitur propterea ibi fuisse revelatum, ut ibi poneret lapidem qui de cubito Martyris excussus est, quia Græce cubitum *ἀγκύλιον* dicitur. Sed qui sciunt quæ ibi miracula fiant, ipsi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri ista miracula, nisi posteaquam corpus sancti Stephani apparuit. Ecce ibi non est curatus iste juvenis, ut nostris oculis servaretur.

III. Apud Uzalim ubi est episcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quærite, et invenietis. Prætermisissis autem aliis, indico vobis unum quod ibi factum est, ut videatis quanta sit ibi præsentia majestatis. Mulier quædam subito ægrotum filium, cui succurrere festinando non potuit, in gremio suo catechumenum amisit; quæ clamans: Mortuus est, inquit, filius meus catechumenus.

IV. Et cum hæc diceret Augustinus, populus de Memoria sancti Stephani clamare cœpit, Deo gratias, Christo laudes. In quo continuo clamore, puella quæ curata est ad absidam perducta est. Qua visa, populus cum gaudio et fletu, nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito, aliquandiu clamorem protraxit: et silentio facto, Augustinus episcopus dixit: Scriptum est in Psalmo: « Dixi: Proloquar adversum me delictum meum Domino Deo meo, et tu dimisisti impietatem cordis mei¹. » Dixi: Proloquar: » nondum prolocutus sum: « Dixi: » Proloquar, et tu dimisisti. » Commendavi istam miseram, imo ex misera, commendavi eam vestris orationibus. Disposuimus orare, et exauditi sumus. Sit gaudium nostrum actio gratiarum. Citius exaudita est mater Ecclesia,

¹ Psal. xxxi, 15.

quam in perniciem maledicta mater illa. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO CCCXXIV¹.

Quo Augustinus complet partem Sermonis mox præcedentis miraculo interrupti.

DEBET a nobis hesternus Sermo compleri, qui majori interruptus est gaudio. Statueram enim et cœperam loqui Charitati Vestræ, quare mihi videntur isti fratres divina auctoritate ad hanc civitatem esse directi, ut hic in eis diu optata et expectata sanitas impleretur. Et hoc volens dicere, prius commendare cœperam Charitati Vestræ loca sancta, in quibus non sunt sanati, et ad nos inde sunt directi. Et dixi de Ancona civitate Italiæ: cœperam de Uzali civitate dicere, quæ est in Africa; (Episcopum habet fratrem meum, quem nostis, Evodium;) quia et ad illam civitatem eos venire, fama ejusdem Martyris et operum ejus compulisset. Non est illic datum quod dari potuit, ut hic daretur ubi dari debuit. Cum autem opera divina per sanctum Martyrem commemorare breviter vellem, omissis cæteris, unum institueram dicere: quod cum dico, restituta illi puellæ sanitate, subito lætitiæ tumultus exortus est, et nos aliter compulsi finire Sermonem. Ergo tale ibi miraculum scimus factum inter multa alia, quæ commemorari utique cuncta non possunt. Mulier quædam amisit in gremio ægotan-

¹ Alias de Diversis 33.

tem filium catechumenum infantem lactentem. Quæ cum vidisset amissum et irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quam mater¹. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro sæculo, et hanc sibi ablatam et perisse plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, et cucurrit ad Memoriam beati Martyris Stephani, et cœpit ab illo exigere filium, et dicere: Sancte Martyr, vides nullum mihi remansisse solatium. Non enim possum dicere filium præcessisse, quem nosti perisse: tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conspectum coronatoris tui. Hæc et talia cum precaretur, lacrymis quodam modo non petentibus, sed ut dixi, exigentibus, revixit filius ejus. Et quia dixerat: Nosti quare illum quæram: ostendere voluit etiam Deus verum animum ipsius. Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus sacramentis, assumptus est. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem sepulcri, sed ad sinum Martyris Stephani. Probatum est cor fidele mulieris. Ubi ergo tale miraculum fecit Deus per Martyrem suum, non potuit ibi istos curare? Et tamen huc nobis directi sunt. Conversi ad Dominum, etc.

SERMO CCCXXV².

In Natali viginti Martyrum (7).

I. DIE solemnī sanctorum Martyrum debitus Sermo

¹ Forte, materne. — ² Alias ex Sirmondianis 30.

reddendus est. De gloria Martyrum locuturos, breviter justam causam Martyrum locuturos, adjuvent nos orationes Martyrum. Hoc enim per istas solemnitates commemorari debet Sanctitas Vestra, primum ne ardeamus aliquid nos conferre Martyribus, quia eorum dies solemnissimos celebramus. Illi nostris festivitibus non egent, quia in cœlis cum Angelis gaudent: congaudent autem nobis, non si honoremus eos, sed si imitemur eos. Quamquam et quod honoramus, nobis prodest, non illis. Sed honorare, et non imitari, nihil est aliud quam mendaciter adulari. Ad hoc ergo istæ festivitates in Ecclesia constitutæ sunt Christi, ut per eas congregatio membrorum Christi admoneatur imitari Martyres Christi. Hæc est omnino hujus festivitatis utilitas, alia non est. Si enim nobis proponatur imitandus Deus, respondet humana fragilitas, multum esse ad se imitari eum, cui non potest comparari. Si deinde ipsius Domini nostri Jesu Christi ad imitationem nobis proponatur exemplum, qui propterea cum Deus esset, mortali carne vestitus est, ut hominibus mortalem carnem gerentibus insinuaret præceptum, et demonstraret exemplum: de quo etiam scriptum est: « Christus pro nobis passus est, relinquens nobis » exemplum, ut sequamur vestigia ejus¹: » tamen et hic adhuc respondet humana fragilitas: Quid simile ego et Christus? Ille etsi caro, tamen Verbum caro: « Verbum » enim caro factum est, ut habitaret in nobis²: » carnem assumpsit, non Verbum perdidit: quod non erat accepit, non quod erat amisit: « Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi³. » Quid ergo simile ego et Christus? Ad tollendas igitur omnes excusationes infidelis infirmitatis, Martyres nobis stratam construxerunt. Lapideis enim tabulis construenda erat, qua securi am-

¹ 1 Petr. II, 21. — ² Joan. II, 14. — ³ 2 Cor. V, 19.

bularemus. Ipsi fecerunt sanguine suo, confessionibus suis. Denique contemptis corporibus suis, venienti ad gentes lucrandas Christo, tanquam in jumento illo sedenti, corpora sua sicut vestimenta straverunt. Quis est, quem pudeat dicere: Impar suum Deo? Plane impar. Impar sum Christo? Etiam mortali Christo impar. Petrus hoc erat quod tu: Paulus hoc erat quod tu: Apostoli et Prophetæ hoc erant, quod tu. Si piget imitari Dominum, imitare conservum. Præcessit agmen servorum, sublata est excusatio pigrorum. Postremo adhuc dicit: Impar sum Petro, impar sum Paulo. Impar es veritati? Coronatur rusticitas, non excusatur vanitas. Postremo impar es pueris? impar es puellis? impar es sanctæ Valerianæ? Si adhuc sequi piget, non vis adhærere Victoriæ? Sic enim nobis sanctorum viginti Martyrum series recitata est. Cœpit ab episcopo Fidentio, clausit ad fidellem foeminam sanctam Victoriam. Initium a fide, finis ad victoriam.

II. Videte ergo, fratres: sic celebrate passiones Martyrum, ut cogitetis imitari Martyres. Illi ut fructuosam haberent pœnam, elegerunt causam. Attenderunt enim Dominum dicentem, non: « Beati qui persecutionem patiuntur; sed, Beati qui persecutionem patiuntur propter » justitiam¹. » Elige causam, et non cures pœnam. Si autem non eligis causam, et hic et in futuro invenies pœnam. Non te commoveant supplicia et pœnæ malefactorum, sacrilegorum, hostium pacis², et inimicorum veritatis. Non enim illi pro veritate moriuntur: sed ideo moriuntur, ne veritas annuntietur, ne veritas prædicetur, ne veritas teneatur, ne unitas ametur, ne charitas diligatur, ne æternitas teneatur. O causa pessima! ideo pœna infructuosa. Non attendis, qui te de pœna jactas,

¹ Matth. V, 10. — ² Donatistarum falsos Martyres carpit.

tres cruces fuisse, quando Dominus passus est? Inter duos latrones passus est Dominus: poena non discernebat, sed causa discernebat. Ideo Martyrum vox est in illo Psalmo: «Judica me, Deus.» Non timet iudicium: non enim habet, quod in illo ignis absumat; ubi totum aurum est, flamma quid formidatur? «Judica me, Deus,» et discerne causam meam de gente non sancta¹. » Numquid dixit: Discerne poenam meam? Diceretur ei: Poenam passus est latro. Numquid ait: Discerne crucem meam? Ibi et adulter inclusus est². Numquid dixit: Discerne catenam meam? Ibi fures etiam colligati sunt. Numquid dixit: Discerne vulnus meum? Ferro etiam scelerati necati sunt. Cum ergo videret omnia bonis malisque communia in passionibus, exclamavit, et ait: «Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta.» Si discernis causam meam, coronas patientiam meam. Hæc Charitati Vestrae pro exhortatione in hoc sancto loco sufficiant; quoniam dies parvi sunt, et adhuc nobis in majore basilica restant quæ agamus cum Charitate Vestra.

¹ Psal. xli, 1. — ² Aliqua hic desiderantur.

SERMO CCCXXVI¹.*In Natali Martyrum².*

I. SOLEMNITAS beatissimorum Martyrum lætiorē nobis reddidit diem. Lætatur, quia de terra laboris ad regionem quietis Martyres transierunt: sed hoc non saltando, sed orando; non potando, sed jejunando; non rixando, sed tolerando meruerunt. Contristabantur, credo, parentes eorum, quando ad passionem abierunt: sed illi lætabantur, et dicebant: «Lætatus sum in his» quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus³. » Nolite, parentes, nolite plangere gaudia nostra. Si eos quos nutritis, non vultis in gehennam ire, imitari debetis, non impedire. Illi noverant quo pergebant, et parentes increduli sine causa plangebant. Sed tunc amantes filios carnales lugebant: postea credentes in Deum dicebant: «Convertisti planctum meum in gaudium mihi,» conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia⁴. » Utinam, fratres, rumpatur in nobis saccus poenitentiae, et effundatur pretium indulgentiae. Martyres omnes sar-

¹ Alias 30 ex Vignerianis. — ² Eorundem forte viginti Martyrum, de quibus est Sermo superior, qui hunc 326, in Victorino codice proxime antecedit. Et sane in Theodoricensi MS. post superiorem illum Sermone subsequitur cento quidam diversis constans Augustini excerptis, cui titulus: *item Sermo beati Augustini episcopi, In Natali sanctæ Victorie Martyris*, unius scilicet ex viginti Martyribus. Tum isti centoni subijcitur noster hic cccxxvi Sermo eum hoc titulo: *Item Sermo ejus supra, de eodem unde supra.* Consentit vetus codex Remigiensis. — ³ Psal. cxxi, 1. — ⁴ Id. l. xxv, 21.

cinas lucrorum sæculi hujus hic posuerunt, hic dimiserunt, et viam quæ ducit ad vitam, expediti sicut boni milites cucurrerunt; sicut scriptum est: « Tanquam nihil » habentes, et omnia possidentes¹. » Et vere in terra nihil habebant. Sed in cœlo felicitatem perpetuam possidebant. Ad cœlum devote festinabant, et viam vitæ securi currebant; et adhuc longe positi manus ad palmam extendebant. Currite sancti; sic currite, ut comprehendatis: « Regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud². » Non est angustum: quisquis beatus vult esse, ad regnum cœlorum festinet. Nulli clausum est, nisi ei qui se excluserit. Paratus est Christus suscipere confessores suos. Ipse desuper dicit: Specto vos, certantes adjuvabo, vincentes coronabo.

II. Hanc pollicitationem Martyres tenentes, terrores et minas persecutoris pro nihilo habuerunt. Nam cum persecutor diceret: « Sacrificate idolis: » responderunt, « Non facimus, quia æternum Deum in cœlis habemus, » cui semper sacrificamus; nam dæmoniis non immolamus. » Et iudex: « Quare ergo contra præceptum sacrum » facitis? » Responderunt: « Quia Magister cœlestis in » Evangelio nobis dicit: Qui reliquerit patrem et matrem, et uxorem et filios, et omnia quæ possidet, » propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam » æternam possidebit³. » Et iudex: « Ergo non obtemperabitis » præceptis imperatorum? » Et responderunt: « Non. » Et ille: « Quam ergo auctoritatem potestis habere, cum vos videatis supplicio subiacere? » Et Martyres dixerunt: « Auctoritatem Regis æterni portamus, » ideo auctoritatem mortalis hominis non curamus. » Tunc in carceribus missi, catenis onerati sunt. Quantum dictum est ab impiis: « Ubi est Deus eorum⁴? » Veniat

¹ 2 Cor. vi, 10. — ² Matth. xi, 12 — ³ Id. xix, 29. — ⁴ Psal. cxliii, 3.

Deus eorum, in quem crediderunt, et liberet eos de carceribus, eripiat eos a gladio, eripiat eos a bestiis. Omnia ista dicebant, sed in petra positos non dejiciebant. Illi sæviebant, sed illi non timebant. Sciebant ubi eos dimittebant, et quo festinabant. Coronantur Martyres confessores, et remanserunt iudices desertores. Sic Deus vult unumquemque Christianum probare, ut probatum velit cum Martyribus coronare.

SERMO CCCXXVII¹.*In Natali Martyrum.*

I. CANTAVIMUS Deo Martyrum voce: « Judica me, » Deus, et discerne causam meam de gente non sancta². » Martyrum vox est. Quis audeat dicere: « Judica me, » Deus, » nisi qui habet optimam causam? Promissis et minis tentatur anima, mulcetur illecebris, torquetur doloribus: omnia pro Christo victa sunt ab invictis Martyribus. Victus est promittens mundus, victus est sæviens mundus. Non tenuit voluptas, non terruit cruciatus. Aurum in fornace purgatum ignem gehennæ non timet. Ideo tanquam purgatus igne tribulationis beatissimus Martyr securus dicit: « Judica me, Deus. » Quidquid in me inveneris bonum, judica. Donasti mihi quod tibi placeat; inveni in me, et judica me. Non me tenuit dulcedo sæculi, non me a te detorquet tribulatio sæculi. « Judica me, et discerne causam meam de gente non

¹ Alias 27, ex Sirmondianis. — ² Psal. xlii, 1.